



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Veterum Hebræorum calcei vili pretio constiterunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

parva parte vel frusto corii. Optimè sane. Calcei Gibeonitarum ad indicium vetustatis diversis corii frustis suppositi erant. Ut jam antiquissimis illis temporibus solearum ex corio usus appareat.

VII. Hinc videre est, cum ex pellibus sive corio fuerint calcei veterum Hebræorum, quod vili pretio constiterint. Philosophorum Phæcacia, quæ ex corio fuisse docuimus superius, quatuor denariis olim empta fuerunt. Locus elegans est ad hanc rem apud Senecam: *Pythagoricus*, inquit, *quidam emerat à sutore phæcacia, rem magnam, non presentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus, & cum clausam diu pulsaret, fuit qui diceret: quid perdis operam tuam? sutor ille, quem quæris, elatus, combustus est. At Pythagoricus noster quatuor denarios non invita manu domum retulit. Deinde, cum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitam voluntatem, intelligens arrisisse sibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam, & per clostrum, qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit. Discimus ex hoc loco quam*

Sen. de  
Benef. lib.  
7. cap. 21.

vili pretio constiterint phæcacia, ut pote quatuor empta denariis, quam obrem & Seneca illa ironice *rem magnam* vocat. Non pluris consti-  
tisse Hebræorum calcei videntur, imo vix ullum vestimentum viliori pretio fuisse. Apud Amosum con-

Amos 2,6. queritur Deus, *quod egenum venderint pari calceorum.* Inter alia quæ recensentur istorum hominum peccata, perstringuntur Judices illius ævi, qui pecuniæ gratia injustè judicabant, imo vel egenum vendebant *pari calceorum.*

Amos 8,6. Idem vitium in aliis notatur, qui *egenum emebant pari calceorum.* Scilicet egenos, quasi homines vilissimos & nullius pretii, vel vendebant Judices, vel emebant alii *pari calceorum*, h. e. re minimi pretii. *Par calceorum* apud Prophetam veluti proverbialis est loquendi ratio, pro re vili & nullius ferè momenti, quomodo & alibi usurpat *frustum panis*. Simile quid apud

Eccles. 46.  
22.

Syrachidem legitur de Samuele: *κέρματα, καὶ ἕως ὑποδημάτων δὲ πάσης σαρκός ἔκ ἐληφεν.* Pecuniam *Usque ad calceos ab ullo homine non accepit.* Sensus est apud Samuelem: *nihil*